



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Jacobi Usserii Armachani Annales Veteris Et Novi Testamenti

Ussher, James

Lutetiæ Parisiorum, 1673

Cap. VII. De secundæ, & tertiæ Mundi etatis connexione legitima: ubi Abraham ante mortem patris in Chananæam venisse, ex Mose, Stephano, & aliis ostenditur; & ante annum patris 130. in lucem fuisse ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-14425

a Harvill. Hæ-
gog. Chron.
pag. 37.

v. Epiph.
j Hexæmer.
pag. 14.

a Georg Syn-
coll. Chron.
pag. 46.

Aliud enim illud argumentum ab a Harvilleo, (à Nationibus ortis ab ipso Canaan) peticum pondus in se habet omnino perexiguum; Eusebius (inquit ille, lib. 1.) Chron. s. Epiphanius in Ancorato, & Chronicon Alexandrinum, dicunt ab ipso Canaan ortos fuisse Gasshenos. At vero Epiphanius Caianos (nescio quos) hic nominat. Chronic. Alexandrinum (vel Constantinopolitanum potius) Sarmatas, b Eustathius Antiochenus Sogodianos; de Cainane hoc præterea addit. *Ἄνδρες δὲ ἀποροῦντες ἐπινοήσαντες ἐπινοήσαντες. Ab isto astronomia & auguria excogitata sunt.* Ortos autem ab eo fuisse Gasshenos, non Eusebius (quem Cainanem illum omnino non agnovisse ostendimus) sed Georgius Syncellus memorat: eadem qua & alterum illud narrat fide. *Ἐπεὶ δὲ οὐκ ἔστιν ἔτι τινῶν διδομένων ἐν τῷ κόσμῳ ἐπινοήσαντες τὴν γῆν τῶν πατέρων, ἐπινοήσαντες τὴν γῆν.* Mundi anno 2585. Canaan deambulans in agro, scriptum Gigantem reperit, & penes se recondidit. Euty chius filius Patricii Alexandrinus Patriarcha, in Arabico suo Chronico, anno Phaleki, 36. mense Ab Cainanem mortem obiisse notat. Catenæ autem in Pentateuchum Arabicæ (quæ in Bodliana Bibliotheca habetur) collector, eundem 13. die mensis Elul, feria 6. vita excessisse scribit: filios ejus eum pollinxisse, sepelisse, & per quadraginta dies luxisse, adjiciens. Nempe, qui filium Arphaxadi eum revera fuisse existimaverunt, ne nudum nomen videretur, quicquid vel de eo commenti sunt ipsi, vel ab aliis acceptum nimis secure posteritati commendandum putaverunt.

C A P. VII.

De secundæ, & tertiæ Mandi ætatis connexionem legitima: ubi Abraham ante mortem patris in Chananaeam venisse, ex Mose, Stephano, & aliis ostenditur; & ante annum patris 130. in lucem fuisse editum defenditur.

IN secundâ annorum Mundi Periodo, de connexionem mortis Tharæ cum filii ipsius Abrahami in Chananaeam profectio, (quæ tertiæ periodo dat initium,) quæstio adhuc discutienda restat. A quâ, quia tertiæ quoque Mundi ætatis exordii determinatio dependet: utramque, syllogismo ita expositorio comprehensam, exhibere visum fuit.

Tempus quo Charane profectus est Abramus in Chananaeam, initium est peregrinationis Hebræorum in terrâ non suâ.

Dies XV. mensis VII. (primi postea dicti) mortem Tharæ proxime subsecutus, tempus illud est quo Charane profectus est Abramus in Chananaeam.

Ergo dies XV. mensis VII. mortem Tharæ proxime subsecutus, initium est peregrinationis Hebræorum in terrâ non suâ.

Majoris propositionis confirmationem, quia tertiæ Periodi explicationem magis spectat, ad proximum differemus: Minoris, in hoc capite aggrediemur. Et quia mensis & diei ratio in ca-

pite III. supra est reddita; hic, de connexionem mortis Tharæ cum Abrami in Chananaeam profectio tantum agemus: quam à Mose, in fine XI. & initio XII. Geneleos capituli, ita habemus declaratam.

Et fuerunt dies Tharæ ducentorum quinque annorum; & mortuus est Thara Charane.

Et dixit Dominus ad Abram: Egredere de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & de domo patris tui, in terram quam ostendam tibi.

Et faciam te in gentem magnam; & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum; & esto benedictio.

Et benedicam benedictibus tibi, & maledictibus tibi maledictam: & benedicentur in te omnes familie terræ.

Et profectus est quemadmodum est locutus ad eum Dominus, & profectus est cum eo Lot, & septuaginta quinque annorum erat Abram, cum egrediretur Charane.

Ubi imprimis perpendendum est quod sub capitis III. initium, supra à nobis est explicatum, Patriarcharum omnium qui post diluvium nati sunt, integræ vitæ annorum summâ consulto prætermisâ, solius Tharæ universos quos vixit annos esse hic commemoratos; & cum mentione mortis ejus, profectiois Abrahami in Chananaeam, narrationem deinde esse conjunctam, ut inde intelligeretur, ubinam constituendum esset secundæ Mundi periodi finis, & tertiæ exordium. Quod Mosis consilium non animadvertentes hic alii, per prolepsin & anticipationem mortem Tharæ ante Abrami à Charane profectioem ab eo positam fuisse dixerunt: & Scripturam aliâs incertum relinquere, quanto tempore post mortem Tharæ venerit Abraham in regionem Chanaan; utrum illo anno quo Thara mortuus est, an aliquot post annis quam mortuus fuerat; Ita Peterius. Cui reponimus, (quod ab ipso agnoscitur:) *a Chronologiam voluisse Mosem integre, exactè ac perfecte tradere: addimusque in hunc ipsum finem mortem Tharæ & profectioem Abrahamæ, ut eodem anno factam, simul conjunxisse; ut annorum primæ mundi periodi cum annis secundæ connexionem patefaceret.* Nulla enim ratio erat cur Abram, ex Ur Chaldæorum à Deo vocatus, (Genes. XV. 7. Neh. IX. 7. A&C. VII. 2.) & vocationi ejus obsecundans, simul cum Patre Chananaeam versus iter instituens, & cum illo Charanæ aliquandiu subsistens, (Genes. XI. 31.) patre demum mortuo, Charanæ diutius moraretur, & in junctum à Deo iter amplius protraheret etiamsi nulla iterata Dei vocatio intercessisset. Post mortem vero patris, Abramum Charane in terram Chananaeam migravisse, disertis etiam verbis protomartyr Stephanus confirmat; in A&C. VII. 4. sic de eo narrans. *Τότε ἐξελθὼν ἐκ τῆς γῆς τῶν δαδων, κατήλθεν ἐν χαρραν ἐκείνην, μετὰ τὸ ἀποθανεῖν τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, μετὰ τὸν χρόνον οὗτον εἰς τὴν γῆν τῶν πατέρων εἰς τὴν οὐρανὸν ἔστη. Τὸν χρόνον οὗτον ἐξελθὼν ἐκ τῆς γῆς τῶν δαδων, κατήλθεν ἐν χαρραν ἐκείνην, μετὰ τὸ ἀποθανεῖν τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, μετὰ τὸν χρόνον οὗτον εἰς τὴν γῆν τῶν πατέρων εἰς τὴν οὐρανὸν ἔστη. Τὸν χρόνον οὗτον ἐξελθὼν ἐκ τῆς γῆς τῶν δαδων, κατήλθεν ἐν χαρραν ἐκείνην, μετὰ τὸ ἀποθανεῖν τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, μετὰ τὸν χρόνον οὗτον εἰς τὴν γῆν τῶν πατέρων εἰς τὴν οὐρανὸν ἔστη.* Tunc exiens è terra Chaldæorum, habitavit Charran: & illinc, postquam mortuus est pater ejus, transfudit eum Deus in terram hanc, in qua nunc vos habitatis. Cui tam claræ luci, mirandum profecto est, quantas offundere

d Peter. in
Gen. lib. 16.
num 195.
ib. ibid.
nu. 174.

1. Vsserii Chronol.



conentur tenebras illi, qui anno 70. Tharæ Abrahamum natum fuisse opinantur; & in quam varias: (ut hoc efficiant,) se convertant formas. Hieronymus, in Quæstionibus Hebraicis in Genesim, *indissolubilem quæstionem* hanc appellat. *Iosephus Scaliger*, in Elencho posterioris orationis Chronologiæ D. Parai, *Eliam expellendum esse ait, qui nodum solvat.* Melchior Canus, & memoriæ lapsus ex concionis estu in Stephano admittit. Abramus Bucholcerus, in Ifagoge suâ Chronologica, dicit esse *examinanda Acta ad Genesim, non Genesim ad Acta lignum ad Normam exigendum, non normam ad lignum*; additque esse in Stephani narratione *plura, quæ cum grano salis (ut loquuntur), accipienda, & commodâ interpretatione lenienda sunt.* Quasi hic aliqua inter Genesim & Acta intercederet differentia; & quasi ut primarius historiæ hujus author citatus hic fuisset Stephanus, & non ut Moysis fidelissimus interpres, qui nos doceret locationem Abrahami initio cap. XII. Genes. propositam, recto & naturali ordine, sine recapitulatione aut *opsis æquino* ullo mortis Tharæ fuisse subnectendam, cujus mentio immediate præcesserat: aut quasi grano salis condiri illius dicta necesse haberent, quem Angelo magis quam homini similem orationem hanc exorsum & Spir. sancto plenum eandem finisse, Spiritus ipse sanctus confirmat. (Act. VI. 15. & VII. 55.)

Addit his Sethus Calvisius, * *Quod affirmatur ex Stephano Abrahamum post defunctum Tharam in terram Chanaan profectum esse, id ex versione Septuaginta interpretum mutatum esse. Sed paraphrases Septuaginta interpretum, si pugnent cum fontibus & textu, cum grano salis accipiendas: quum tamen in versione Græcâ, quæ LXX. interpretibus tribuitur nihil omnino inveniatur quod pro hac sententiâ magis faciat, quam quod ipsis fontibus & in textu legitur Hebraico.*

Georgius Syncellus, * Andreas Masius, & Nicolaus Abramus, verba Stephani non de morte Tharæ naturali, sed de spiritali idololatriæ morte interpretantur: quod apud Deos suos, (quorum vanissimo cultui erat deditus,) Charane manere statuisset, & filium inde à Deo vocatum in Chananzam sequi obstinatissime renuisset. Sed præterquam quod à sensu literali quem in historicâ suâ narratione B. Stephanum spectasse non est dubium, ad mysticum & tropologicum verba Protomartyris (præter omnem rationem) illi detorqueant: cum ipsius etiam Historiæ veritate nobis certè videtur, eam expositionem, omnino non posse existere. Etsi enim Tharam Diis alienis aliquando servivisse, à Jofua edoceamur: tamen eum filium Abramum ex Ure, idololatriæ Chaldæorum urbe, miseratione divinâ vocatum, ultro Thara secutus fuerit, in Chananzam quoque (si in itinere morbo Charanzæ detentus & morte sublatu non fuisset) comitaturus; in Charane subsistentem ad vomitum suum fuisse reversum, & Servatoris progenitorem in tam fendâ idololatriâ fuisse mortuum, ut credamus, animum inducere non possumus.

Daniel Angelocrator, in suæ Chronologiæ Prodomo, quæstionis solutionem in voce *[civitas]* consistere arbitratur quæ in loco Actorum non post, sed circa, vel sub significet: ut sit sensus, quod sub mortem patris vel circa mortem, hoc est ingravescente ætate eius profectus sit. Verum neque exemplo ullo probatur, eam esse vocis usurâ latitudinem, ut circa, vel sub significare possit: (illud enim *verbum* *peritiam*, ex *Matth. 1. 12.* productum, nihil aliud omnino denotat, quam reverâ post exilium Babylonium inchoatum; à Jechoniâ genitum fuisse Salathielem;) & si maxime probaretur, hic certe ea significatio locum habere non potest. Quis enim diceret, circa vel sub mortem Tharæ profectum fuisse Abramum; si inter eam filij profectioem & mortem patris 60. ipsi anni, ut Angelocratoris (in Septuagesimum annum Tharæ natalem Abrahami conjiciuntis) necessario requirit hypothesis, intercellissent.

Pererius, cum Abulensi, duas Abrahami profectioes ex Charane in Chananzam distinguendas esse asserit. Priorem, quum 75. esset ille annorum, patre adhuc vivente; posterio-rem, quum esset annorum 135. patre jam mortuo, factam: de quarum priore Moyses, de posteriore Stephanus meminerit. Per 60. vero postremos patris sui annos, non tam habitasse in terrâ Chanaan eum dici posse putat, quam peregrinatum esse, quod, per intervalla, patrem & fratres reviseret. Sed renuntiata patris morte, reversum in Charan, ut vel patris funus curaret, vel ne bona quæ paternâ hereditate sibi obvenerant perderet, egressum inde postea eum fuisse ait, firmissimo animo certissimoque proposito nunquam eo in posterum revertendi: ut perpetuus deinceps terræ Chananzæ colonus & habitator esset: ita enim *verbum* *domum*. Act. VII. 4. ille interpretatur: *colonum & habitatorem fecit, ei que quasi nunquam amplius reversuro domicilium in terra Chanaan statuit; siquidem vox* *verbum*, non simplicem translationem, sed quasi coloniam denotat.

Verum hoc de duplici Abrami in Chananzam translatione firmamentum abunde refutarunt Tornielus, D. Gualterus Raleigh, (*Histor. Mundi, lib. 2. cap. 1. §. 3.*) Salius, Bonfretius, Henricus Philippi; & fusillime, Harvilæus, in Ifagoge Chronol. sect. 33 [à Col. 323. ad 340.] Illa enim verba Apostoli, Hebr. XI. 15. Si Patriæ illius memores fuissent ex qua exierant, habebant opportunitatem ad revertendum; in Abrahamo præcipuè locum habuerunt qui urgente fame, ad Egyptios, non sine præsentis vitæ periculo, proficisci maluit, quam ad suos reverti; [Gen. XII. 10. 12.] & tantopere cavet, ne filius suus Isaac in eam terram reduceretur, ex quâ ipse est egressus [Gen. XXIV. 5. 6. 8.] Illud autem *verbum* nihil aliud denotare certum est, quam facere ut quis migret, vel sedes mutet: sive peregrinatio ea transmigratio dicenda fuerit, sive quid aliud; sive is qui migret, fixe & constanter in termino quem petit, sive ad tempus sit permansurus. Unde & de *verbum*, sive transmigratio Babylonica, hoc ipsum vocabulum in hac ipsâ Stephani con-

* Calvis. Ifagoge. Chron. cap. 33.

* Georg. Syncel. Chr. pag. 49. * Mas. in Jof. cap. ult. d Abram in Pharo Vet. Testam. I. 7. cap. 22. & 37.

* Jof. 24. 2.

* Gen. 11. 31.

cione usurpatum fuisse videmus. Act. VII. 43. *Metransit hinc in Babylonia, Transferam vos trans Babylonem, & Theronor. l. 3. Μετρευσεν Βαβυλῶνα ἀπὸ τῆς Ἰερουσαλὴμ, ἡ ἀπὸ τῆς Ἰερουσαλὴμ αὐτῆς: Migravit Iudæa præ humiliatione sua, & præ multitudine servitutis sua. Atque ut Abrahami migrationi, h. e. Charane anno ætatis suæ 75. cum familia, te familiari tota & Dei iussu sese transferentis, *metronius* appellatio maxime propria convenit, ita & universam tam ipsius, quam posterorum ejus in Chananæa habitationem & commorationem, pro peregrinatione esse habendam, tum ex Apolloli verbis illis liquet Hebr. XI. 9. Per fidem Abrahami commoratus est in terra promissionis, tanquam in aliena, commoratus in tabernaculis cum Isaac & Jacob, cohabitans ejusdem promissionis, tum ex ipso Mose, Chananæam ut terram peregrinationum Abrahami, Isaac & Jacobi subinde nobis exhibente (Genes. XXXVI. 7. XXXVII. 1. Exod. VI. 4. Unde & Delrii, Perkinfii, aliorumque opinio quoque concidit) qui seposito etiam illo de duplici Abrahami ex Charane in Chananæam translatione commento, cum B. Augustino, (libro 16. de Civitate Dei. cap. 15.) difficultatem omnem per expositionem verbi *metronius* tolli posse existimant, quod collocavit, seu firmiter habitare fecit illi interpretantur: Abrahamum dicentes, 60. quidem annos in terra Chananæa (vivo adhuc patre) transgressisse, sed nihil in ea possedisse; post patris vero mortem exemptione possidere agrum & speluncam, atque hæc ratione firmius domicilium ibi habere, cœpisse, nulla interius proprietatis vel Latine vocis *transstulit* quæ motum quendam, vel Græcæ *μετακίνησεν* quæ translationem denotat habitâ ratione quemadmodum recte hic à Bonfrerio est observatum: ut non addam, fixum hoc Abrahami juxta Hebronem domicilium, non minus peregrinationis ipsius locum fuisse habitum (Genes. XXXV. 27.) quam reliquam Chananæam, in qua liberius antea oberrabat.*

Ludovicus de Dieu, vir doctissimus & mihi quam vixit amicissimus, in Animadversionibus ad Act. VII. 4. hanc etiam conjecturam suam eruditè considerandam proponit. Verbis illis Stephani, de translato Abrahamo *εἰς τὴν γῆν τῆς Χαναάν* sic *εἰς τὴν γῆν τῆς Χαναάν*, [in terram hanc in qua vos nunc habitatis] non videri innui terram Canaan universam, sed speciatim determinari eam partem qua tribui Iudæa cesserat, in qua Iudæi quos Hierosolymis alloquebatur Stephanus tunc habitabant, adeoque respici habitationem ejus in Mamre, & quidem postquam empto ibi (prope Hebron in mediis illis tribus Iudæ) agro firmam sedem ibi fixit. Cum autem Sarah, in cujus sepulchrum ager iste emptus fuerat, decennio marito junior, [Gen. XVIII. 17.] annos 127. nata, ex hac vita decesserit: Gen. XXIII. 1. & Abrahamum annos 137. natum tum fuisse oportuit, & altero jam anno vivere decessisse Tharam etiam si ab ipso Septuagenario Abrahamum susceptum fuisse admiserimus.

Sed neque ista explicatio cum serie oratio-

nis Protomartyris satis quadrat: in qua mentioni commorationis Abrahami in Charane hæc statim subjiciuntur, *Et illinc postquam mortuus est pater ejus, transfulit eum Deus in terram hanc in qua vos nunc habitatis. Et non dedis ei hereditatem in ea ne vestigium quidem pedis: & promisit, se illam daturum ei possidendam, & semini ejus post eum; quum non esset ei filius.* Ubi ex Charane immediate (id enim vox *εἰς* illinc indicat) in aliam terram translationem eam, (de qua Stephanus loquitur, factam fuisse clarum est; non ex una Chananæa parte in aliam; post plures quam 60. à relicta Charane annos demum factam migrationem alteram; quæ sive eum fixa domicilii sede conjuncta fuerit, sive secus ad rationem *μετακίνησεν* (ut dictum est,) nihil omnino attinet. Deinde translationem hanc circa illud tempus contigisse Stephanus significat, quo pollicitus est Deus Abrahamo, se daturum terram illam semini ipsius, quum nondum haberet filium (Act. VII. 5.) At fixam illam, quæ non à nostro solum Ludovico, sed etiam Delrio, Perkinfio, Pererio, & aliis hic obtenditur, Abrahami habitationem longe post natum Abrahamo filium multoque longius post hereditariam terræ promissionem, contigisse nemo dubitat.

Neque huic objectioni plane satisfacit responsio illa Petavii: non translatum esse à Abrahamo ait Stephanus, antequam haberet eum filium; neque enim illud prius; *Et inde postquam mortuus est pater ejus transfulit illum,* neque quæ deinceps dicuntur omnia necesse est, & ad idem pertinere tempus. *Repromisit,* inquit, *dari illi enim in possessionem, & semini ejus post ipsum; quum non haberet filium.* Sola ergo repromissio facta dicitur antequam haberet filium; non autem translatio, & secunda in Chananæam migratio: quasi diceret; *Repromisit illi jam tum quum non haberet filium.* Porro ista promissio jam pridem edita est, cum primum à Chaldæa proficerecetur; ut indicat Stephanus. Ita enim scribit Petavius: quum promissionis vel illius vel ullius Abrahamo à Chaldæa proficiscenti factæ; ne uno quidem verbo Stephanus meminerit. At vero quam primum à Charane in Chananæam Deus illum transfulit, (utin Act. VII. 4. Stephanus loquitur;) editam esse promissionem illam ostendit Moses; (Gen. XII. 7.) *Semini tuo dabo terram hanc;* jam tum quum non haberet filium. Indecque non unam à Mose Abrahami migrationem anno ipsius LXXV. aliam à Stephano, anno ejusdem CXXVII. factam; sed unam & eandem ab utroque intellectam fuisse concludimus. Nec aliud quidem voluisse Mosem, quam post patris demum excessum, primam Abrahami in terram Chananitidem profectionem esse susceptam (recapitulatione vel anticipatione nulla interposita) ex Charane primum decessisse apud Judæos qui Stephani tempore vixerunt communiter recepta fuit sententia; quod vel illa Philonis Judæi in libro *περὶ ἀποκρίσεως τῶν νόμων ἀποκρίσεως*, eius, ὅτι ἀπὸ τῆς γῆς τῆς Χαναάνης ἀπέστειλε τὸν Ἀβραάμ

i Petav. Rationar tempor. lib. 2. cap. 2.



ἡλικίας αἰετῶν, ἡλικίας αἰετῶν ὅ ἀντιπρὸς
 ἀλλήλων, ἡλικίας αἰετῶν. Neminem latere po-
 test, qui legibus (sive libris Mosaicis) studium
 adhibuerit; quod Abrahamum primum quidem
 à Chaldaorum terra veniens habitavit in Cha-
 ran; ibi vero defuncto ipsius patre, ex eà quo-
 que profectus est. Itaque Dofichio, qui paulo post
 Samaritanis suis Mosaicum Pentateuchum à se
 interpolatum dedit, ita fuit persuasum, ut quàm
 falsa opinione ductus, anno Tharæ septuagesimo
 natum fuisse Abrahamum existimaret, simul-
 que Tharam 205. ætatis anno vita functum, ac
 deinde Abrahamum anno vitæ 75. Charane dis-
 cessisse legeret; ista aliter inter se conciliare
 nesciens, pro 205. annis Tharæ, non in Hebræo
 solum, sed etiam in Græco & Caldaico textu
 repertis, 145. (numerum ex 70. Tharæ & 75.
 Abrahæ constitutum) inaudita audacia sublituc-
 ce non dubitavit. Ex quo apparet tamen, quam
 alte animis illius temporis ea infederit senten-
 tia quæ Abrahami ex Charane in terram Cha-
 naanis profectioem cum patris morte fuisse
 conjunctam, indeque 430. peregrinationis He-
 bræorum annos, Exod. XII. 40. memoratos,
 deducendos esse constituit, quæ Samaritano-
 rum omnium Chronologorum ad hunc diem
 usque, communis est opinio: quam inter Chri-
 stianos quoque Pastorum Sæculorum autho-
 rem fuisse secutum, non difficile fuerit anim-
 advertere.

Pro nobis quoque facit Chryostomus, ho-
 milia 31. in Genesim, de Abrahami ex Charane
 discessu ita scribens. Non antea cum Deus inde
 evocavit, donec mortuus Thara. Tunc enim, illo
 defuncto, inquit; Et dixit Dominus Abrahæ:
 Egredere de terrâ tuâ, &c. (Genes. XII. 1. &
 in homilia 36. Occupata Charan, postquam illic
 tabernaculum fixerunt, & morte functus est Tha-
 ra, iterum præceptum est ei à Deo, ut exiret
 inde; Egredere, (inquit) de terrâ tuâ, &c.

Neque aliud quid sentirent ulli alii; nisi Do-
 stheano illo præiudicio, Abrahami à patre
 septuagenario suscepti, in transversum acti,
 hoc uno ariete, (cum Abulensi,) quæ à nobis
 dicta sunt concuti, & prosterni posse om-
 nia sibi persuaserint. Si deceffit Abraham Char-
 ane post mortem patris sui; natus fuisset ille,
 quum Thara esset annorum 130. Thara enim
 vixit 205. annos. (Genes. XI. 32.) Abram vero
 erat 75. annorum quum egredereetur Charane.
 (Genes. XII. 22.) Atqui à Thara genitum fuisse
 Abrahamum, quum esset 70. annorum, ver-
 ba illa Mosis, Genes. XI. 26. clare ostendunt.
 Vixit Thara septuaginta annos, & genuit Abra-
 hamum, Nachorem, & Haranem.

Et quidem si unius tantum filii hic,
 uti in antecedentibus à Mose facta fuisset
 mentio; nulla de nativitate illius tempore sub-
 oriri poterat dubitatio. Verum quum tres si-
 mul ille nominet, quos omnes uno & eodem
 anno haud quaquam genitos fuisse constat; nihil
 aliud quam Tharam anno ætatis suæ septuage-
 simo, libetis operam primum dare cæpisse, &
 tres filios, suo quemque ordine, deinceps su-
 scēpisse, significare voluit: ordine eorum, de-
 ditā opera, confuso, ut non à tempore susce-

pta primum ab eo prolis, sed a morte ipsius, &
 cum ea conjuncta Abrahami in Chanaanem
 profectioem, annorum Mundi series continuan-
 da fuisse intelligeretur; quemadmodum sub III.
 capituli initium supra declaravimus.

Ita Procopius Gazæus, in hunc Genesios lo-
 cum scribens. Queritur, (inquit) quomodo Tha-
 ra annos natus 70. procreaverit Abrahamum,
 & deinde concesserit fato, natus annos 205. Enis
 autem eo tempore Abrahamus non 135. anno-
 rum, sed attigit annum 70. (vel 75. potius) iux-
 ta scripturam sacre testimonium. Verum enim ve-
 ro mihi elucescere videtur, Tharam genuisse
 Abrahamum (lego Arran vel Haranem) non
 instante anno septuagesimo, sed eo perfecte com-
 pleso. Nec etiam continuo, ubi ille annus finem
 accepit, natus est Abraham: sed annum 130.
 Tharæ. Nec Moyses recordatur Abrahami, ut
 inter primogenitos eum connumerari velit: sed
 eas meminit ut primi, & præcipui, & filiorum
 celeberrimi qui vel imprimis necessarius sit ad
 præsentis historie relationem. Et post. Hinc quis
 intelligat, Arran annorum numero antecessisse
 Abrahamum & Nabor, licet in narrationis se-
 rie prior loco Abraham sit positus, Non tamen
 id accidit, ut senior cæteris sit habendus: sed ad
 tributum est honori Patriarchæ.

Similia habet & Theodoretus, ex Catenâ
 Græcâ ab Aloysio Lipomano productus, de-
 cecis Abrahamum novissimum trium filiorum
 in senectâ patris fuisse genitum. Quis & ipse
 Augustinus, licet opinioni quæ à Thara Septua-
 genario Abrahamum susceptum statuit sit ad-
 dictior, in apparente tamen inter Mosem &
 Stephanum differentia enodandâ, explicatio-
 nem hanc non esse negligendam ulro agnoscit:
 Quæstione 25. in Genesim, de difficultate ista
 hunc in modum scribens. Potest & sic solvi quæ-
 sionem scripturam quæ dicit, [Cum esset Thara
 annorum LXX. genuit Abraham & Nachor &
 Aran,] non utique hoc intellegi voluit, quia eo-
 dem anno ætatis suæ omnes tres genuit, sed ex
 quo anno generare cepit cum ætatem eorum me-
 moravit Scriptura. Fieri autem potest, ut postior
 generatus sit Abraham, sed merito excellentia,
 quæ in Scripturis valde commendatur, prior
 fuerit nominatus: sicut Propbeta priorem nomi-
 navit minorem, (Jacob dilexi, Elaii autem octio
 habui;) & in Paralipomenon cum sit quartus
 ordine nascendi Iudas, prior est nominatus, à
 quo Iudaica gens nomen est datum, propter tri-
 butum regiam. Commodius autem plures exitus
 inveniuntur, quibus quæstiones difficiles dissol-
 vuntur. Ita ille.

Josephus Scaliger in Elencho 2. Orationis
 Chronologicae D. Parei, magna verborum
 pompa, sed nullo rationum pondere, solutio-
 nem hanc deprimere constat: quam à Mat-
 thæo Beroaldo primum fuisse excogitam ille
 opinatus est; quum non ab antiquis solum, sed
 etiam à recentioribus, Nicolao Lyrano, Car-
 dinali Cajetano, Aloysio Lipomano, Jacobo
 Naclanto, & Johanne Calvino discere potuis-
 set, ante Beroaldum eam fuisse traditam. Ve-
 rum si hunc audire volumus, illud omnem per-
 vicaciam expugnaverit; quod Deus præcepit

Abrahamo

Abrahamo discedere ex Vr Chaldaeorum, ut statim in terram Chanaanorum contenderet, non ut in Charran residere. Deinde ex B. Stephano hoc probato, sic ille in fert. Si præceptum datum est Abrahamo, non Thara; nihil antiquius Abrahamo esse debuit, quam in illam terram concedere, quam illi Deus indicaverat, Aliter non parvisset mandato Dei. Relicto igitur patre in Charran & assumpto Lot, iuxta mandatam Dei, nulla interposita mora, in Chanaanorum fines abiit. Atqui, præcepto isto nihil obstante, Abrahamum aliquod tempus in Charran moratum esse, non Stephanus solum in Act. VII. 2. 4. (quod & ipse agnoscit Scaliger) sed etiam Moses in Genes. XI. 31. XII. 5. Cujus utriusque narrationi nisi prius fides penitus derogeretur, Scaligeri argumentum hoc nemini facturum est fidem; Abrahamum, relicto patre in Charran, nulla interposita mora, in Chanaanorum fines abiisse.

Neque multo majoris momenti est argumentatio illius altera. Abraham primo loco genitus est, ut qui primus fratrum nominatur, Itaque natus est LXX. patris sui anno. Cui cum opponeretur à Pareo; nominari Abraham primo loco, non genitura, sed dignitatis ratione; negat ille confidenter, vel in sacris vel in exoticis scriptis filios aliter recenseri quam genitura ordine. Ille ait, Scripturam nunquam aliter filios numerare quam ut quemque naturæ in lucem dedidit. Sectator ejus Johannes propositionem illam hac restrictione addita proferendam fuisse censuit; Scripturam eo quo generati sunt ordine liberos, ex legitimo matrimonio natos, numerare solere. Ut præoccuparet scilicet locum illum ex I. Chronic. I. 28. obijciendum: Filii Abraham, Isaac & Ismael. Ubi Isaac anno centesimo Abrahaminatus, (Genes. XXI. 5.) præponitur Ismaeli, anno ejusdem 86. in lucem edito (Gen. XVI. 16.) neque animadvertit ille tamen, quem ex Geneleos XLVI. cum Scaligero ad confirmandum propositionem suam producit, eandem plane evertit.

Omnes filii Jacobi, inquit Scaliger (& eum fide implicita hic securus Bohemus,) secundum genitura tempus recensentur: primo quatuor ex Leâ, secundo, duo ex Balâ: tertio, duo ex Zelphâ: quarto, duo ex Leâ: quinto, duo ex Rachel, prout natura ordo eos protulit. At si quis locum ipsum Genes. XLVI. consulere voluerit, inveniet primo loco susceptos ex Leâ filios sex, & Dinam filiam; secundo ex Zelphâ duos; tertio ex Rachel duos, quarto ex Balâ duos; quinto ex nullâ nullos; neque eo ordine omnes Jacobi filios ibi esse recensitos, quo natura eos in lucem protulit. Quod manifestius etiam in aliâ eorumdem recensione, I. Chronic. II. 1. 2. observari poterit. Addit deinde Scaliger, Scripturam alibi non solum primogenitum primo loco ponere, ut in I. Chronic. VI. Rubenem; (licet jus primogeniti ille amisisset) sed etiam quis sit primus, quis secundus, quis tertius, designare. (I. Sam. III. 2. 3. 15. I. Chronic. VI. 28 & VIII. 1. 2. 3. 30. 39. & XXIII. 29. 20.) quod etiam contra ipsum facere (in Comm. ad Gen. c. XI) rectè notavit D. Pareus, quid enim

alieni diserti designatione opus fuisset, quidem abique naturalis ordo servatus fuisset. Dignitatis vero ratione, non Isaacum solum Ismaeli, (Genes. XXV. 9.) sed etiam Jacobum Esavo, (Genes. XXVIII. 5. Jos. XXIV. 4.) Ephraïmum Manassa (Genes. XLVIII. 20.) atque ob principatus prærogativam, Judam reliquis fratribus, (I. Chronic. II. 3. cum V. 2.) & Moïsem Aaroni fratri seniori (Exod. VII. 7.) præpositum fuisse invenimus.

Porto ex tribus Thara filijs, Haran natu fuisse maximum, non Abrahamum licet ob dignitatem primo loco is ponatur non inde solum a Cardinali Bellarmino confirmatur, qui obiit ante ceteros, & quia fratrum alter Nachor, filiam ejus Melcham accepit in uxorem; sed etiam quia alteram Haranis filiam Jescham, ipse Abraham uxorem duxit. Ita enim in Genes. XI. 28. 29. legimus. *Et mortuus est Haran in conspectu Thara patris sui, in solo natali suo, Vr Chaldaeorum. Et duxerunt Abram & Nachor uxores: nomen uxoris Abram Sarai; & nomen, uxoris Nachoris, Melcha filia Haranis patris Melcha; & patris Jescha. Quo loco, (inquit Bellarminus,) per Jescham non potest intelligi nisi Sarai; (qua, teste Josepho in Hieronymo) binominis erat. Neque enim ullo modo credibile, Scripturam proderet voluisse patrem Melcha & non patrem Sarai, persona longe dignioris: & deinde quorsum mentio fieret Jescha, si diversa esset à Sarai? Et hæc certe non Josephi tantum, (lib. 1. Antiquit. cap. 7. & 8.) sed etiam omnium veterum Hebræorum communis est sententia: à B. Augustino quoque (lib. 16. de Civitate Dei cap. 12. 19.) & majore Christianorum parte receptâ. Unde argumentum hoc necit Nicolaus Lyranus in Genes. XI. Secundum Hebræos & omnes alios expositores, Sara uxor Abraham, fuit filia Aran. De ipsa vero scribitur infra (Genes. XVII. 17.) Putesne Centenatio nascetur filius, & Sara nonagenario pariet. Ex quo patet, quod Sara erat junior Abram decem annis tantum. Si igitur Aran fuit junior ipso Abram, sequitur, quod non habebat decem annos quando genuit Saram, imo nec octo; quia inter natiuitatem Abra & Aran fuerunt plus quam decem anni. Quod ipsum etiam concedunt Hebræi, in Sanhedrin cap. 8. & Seder Olam Rabba: capite secundo in quo ita legimus שׂרָא שֵׁהָ הָאֵרֶל הָרִי שָׁנָה וְשֵׁנִים וְנֶשֶׂא אִשָּׁה הָרָרָה Quam ad annorum sex ætatem Haran excrevisset, accepit uxorem: qua peperit ei annorum octo existentis, uno anno Lotum, altero anno Jescham, qua & Sarab est. Neque ut hoc fieret, absurdum esse, inter Christianos Genebrardus quoque somnauit. Verum sapientior Cardinalis, nova expositione verborum illorum Genes. XI. 26. (Vixit Thara Septuaginta annis, & genuit Abram, Nachor & Aran) difficultatem totam solvi posse. Ex quo loco ille colligit ann. 70. Thara, jam natos fuisse tres illos filios. Non enim, (ait ille) Scriptura significat, eodem anno omnes tres genitos fuisse; sed illo anno jam habere cepisse ipsum Thara tres filios; unum videlicet illo anno genitum, & alios antea.*

4 Bellarmin. Controvers. de Sacram. Matrimon. cap. 28.

Genebrard. Chronogrop. in fin. stat. 2.

a Joh. Boh. Chr. lib. 1. tit. 2. c. 6.

Illo autem anno natus est Abraham. Scriptura enim in Genesi, semper indicat tempus natiuitatis eorum, quorum textus genealogiam, ut sciamus aetatem totius Mundi; aliis pratermissis, qui ad istam Chronologiam non pertinent. Ita videmus Scripturam Genes. 14. prodidisse, quod anno aetatis Adae natus sit Seth; per quem textitur Chronologia; non autem quoto anno ejusdem Adae natus sit Abel vel Cain. Et Gen. 5. dicitur Noe, cum quingentorum esset annorum, genuisse Sem, Cham & Japhet; ubi notatur praecise annus quo natus est Sem; quia per illum deducitur Chronologia; & in reliquis idem observare licet. Cum ergo solus Abraham ex filiis Tharae sit is, cuius explicatur genealogia, & per quem textitur Chronologia; necesse est dicere, illo anno ipsum natum esse; alios autem antea.

Atqui ut concessum Bellarminus hic sumit, quod a nobis pernegatur: per annos aetatis vel Abrahami, vel Semi, annorum totius Mundi seriem scripturam texere voluisse. Ut enim in omnibus illis locis in quibus unius cuiusque Patriarchae ortus singulariter & distincte est memoratus, fieri hoc libenter concedimus: ita ubi tres simul mixtim & confuse nominantur, aliter longe rem se habere dicimus; & abrumpi ibi per annos alicujus illorum Patrum, aetatis Mundi continuationem; atque a nova epocha deinceps eam deluci asserimus, a Diluvio videlicet, ubi Sem, Cham, & Japhet; (Genes. 5. cum XI. 10.) ab initio vero peregrinationis Hebraeorum, sive Abrahami ex Charane in Chananeam profectio cum obitu Tharae patris conjuncta, ubi Abram, Nachor, & Haran simul enumerati reperiuntur. (Genes. XI. 26. cum XVI. 3.) Ex collatione vero prioris illius ternarii, ex Genesios V. a Bellarmino hic producti; nova haec ipsius expositio commentitia deprehenditur. Ut enim in Genesios, ut rarum quid & maxime observandum nobis proponitur, quod ante annum quingentesimum Noe liberos gignere non cepisset; cum caeteri omnes in eodem capitulo, inter annum 65. & 187. genuisse memorentur: ita & in XI. cum reliqui omnes post diluuium nati, inter annum 29. & 35. genuisse legantur; quod Tharae ante septuagesimum vitae suae annum liberis operam dare non cepisset, ut res notatu non indigna, similiter nobis exhiberetur, & par eadem requirebat ratio. Et quum eodem interque locus explicandus sit modo, in priore exponendo deceptum Bellarminum esse apparet, ibi notari praecise annum, quo natus est Sem, existimantem. Quum enim 502. esset annorum Noe susceptum ab eo fuisse Semum, in fine capitis IV. supra a nobis est ostensum: ideoque verum non esse, eum quum 500. praecise esset annorum, jam habere cepisse tres natos, Sem, Cham, Japhet: de quo etiam iterum Nicolaum Lyranum audire liceat, in Genes. V. 32. ita scribentem. Dicunt Hebraei quod Sem non fuit primogenitus Noe, quod probant, quia hic dicitur quod quingentesimo anno vita sua cepit generare: & sic primogenitus ejus erat centum annorum tempore diluuii; quia tunc fuit Noe sexcentorum annorum? Sem vero non habuit

centum annos usque post Diluuium per duos annos; ut dicitur infra, XI. capite.

At si anno 70. Tharae natum Abrahamum fuisse non admitteremus; incertum futurum summi Patriarchae annum natalitium, obiectant alii. Quinquies vero exprimit Moses diversos annos aetatis Abrahae; scilicet 75, 86, 99, 100, & 175. Curigitur annum, quo natus est, reticere? imo quorsum attinebat, majores istos aetatis Abrahae annos nominatim exprimere; si primus Abraham, unde pendebat reliquorum numeratio, ignoraretur? (inquit Abrahamus Bucholcerus.) Verum nos primum annum Abrahami ignorati nullo modo concedimus. Subducto enim ab integrae vitae Tharae annis 205, numero annorum 75, quos Abrahamum egisse Scriptura confirmat quum coepit in Chananeam profectio: nis, impedimento per mortem patris penitus sublato, Charane est egressus; inter natiuitatem Tharae & filii ejus Abrahami 130. annorum spatium intercessisse intelligitur. Neque officiant quae contra hoc a Bucholero postea obiecta esse videmus. I. Abraham ipsum miraculi loco dixisse, si ex se centenarius, & Sara nonagenaria nascatur filius Isaac. (Gen. XVII. 17.) II. Ne quidem annum 130. Tharae certo assignari posse natiuitati Abrahae: obstant eo, quod migrare potuisset Abraham annis aliquot a morte Tharae decursis. Sed ad posterius hoc, in capitis hujus initio, contra Pererium; ad prius illud, in V. capitulo, contra Morinum, jam respondimus. Ut concludere tandem liceat; Abrahamum statim post mortem patris, ex Charane in Chananeam primum esse profectum; a qua profectio, & peregrinatio Hebraeorum in terram non suam, & cum ea Mundi Aetas tertia (de qua deinceps acturi sumus) suum capit exordium.

CAP. VIII.

Peregrinationis Hebraeorum annos 430. (qui tertiae Aetatis Mundi spatium constituant) a prima Abrahami ex Charane in Chananeam profectio, non a Iacobi & filiorum in terram Aegypti descensu, arcefcendos esse ostenditur.

Dionysius Petavius, suo more, sacri calculi certitudinem infirmatus, de praeciso tempore, & initio, & exitu tertiae hujus periodi, sive Aetatis Mundi, quaestione moveri posse existimat. Nam si quis, (inquit) pertinacius obistere voluerit, urgeri potest, non constare, utrum anni illi CCCCXXX. post quos legem datam esse Paulus testatur, (Galat. III. 17.) praecise sic accipiendi sint; ut annus Abrahami LXXXVI. sit illorum primus, an LXXXVII. ita ut exeunte LXXXVI. promissa sit Abraam soboles. Tum utrum subinde CCCCXXX. annis expletis, & in ipso CCCCXXXI. lex in monte lata sit, an post unum alterumve annum ab illis expletis; an labente CCCCXXX. Pro hac enim varietate putandi, uno, aut duobus, aut tribus, aut eo amplius minusve, si Moyses ro-